



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Epistola Ioannis Papae XIX. Ad Edvardvm I. Regem Angliae. De non
grauanda Hibernia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

EPISTOLA
 IOANNIS PAPÆ XIX.
 AD EDVARDVM I. REGEM ANGLIÆ.

De non grauanda Hibernia.

*Ioannes episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo
 filio Eduardo illustri Angliæ regi salutem
 & æternam benedictionem.*

PATERNVM amorem ad tuæ celsitudinis incrementa, fili carissime, gerimus; dum te ad ea, quæ iusto placet iudici, tui regni, terrarum & subditorum tuorum sint opportuna quieti, & famæ tuæ pariter & honori prospiciant, sollicitis hortationibus inuitamus. Propter quod in iis persuasiones nostras deuota debes mente suscipere, & ad executionem illarum te paratum & flexibilem exhibere. Ecce, fili, quasdam accepimus literas directas pridem per Hibernicos magnates & populum, dilectis filiis nostris Anselmo, tituli sanctorum Marcellini & Petri presbytero, & Lucæ sanctæ Mariæ in Via lata diacono, cardinalibus, apostolicæ sedis nuntiis, & per eos nobis suis interclusas literas destinatas: in quarum serie vidimus inter cetera contineri, quod cum felicitis recordationis Hadrianus papa prædecessor noster sub certis modo & forma distinctis apertius apostolicis literis, inde factis claræ memoriæ Henrico regi Angliæ, progenitori tuo dominium Hiberniæ concessisset, ipse rex ac successores ipsius reges Angliæ vsque ad hæc tempora modum & formam huiusmodi non seruantes, quinimo eos transgredientes, indebite afflictionibus & grauaminibus inauditis importabilium seruitutum ipsos diutius oppresserunt. Nec fuit hæctenus qui reuocaret illata grauamina, aut errata corrigeret, non fuit quem pia compassio super eorum contritione moueret; quamuis super his ad te recursus habitus fuerit, & clamor validus oppressorum aures tuas quandocumque pulsauerit: vnde talia ferre nequeunt, vltius coacti sunt se a dominio tuo subducere, & alium in suum regimen aduocare. Hæc, di-

lectissime fili, si veritate nitantur, tanto nimirum infectio-
 ra nostris accedunt affectibus, quanto desideramus inten-
 tius vt tibi prospere cuncta cedant. Circa illa versari se-
 dulo debes, eaque promptis affectibus exequi, quæ tuo
 sint placita Creatori, & ab omnibus abstinere solícite,
 per quæ contra te debeat prouocari ipse Deus ac Domi-
 nus vltionum, qui gemitus afflictorum iniuste minime de-
 spicit, & qui propter iniustitias peculiarem suum deie-
 cisse describitur populum, & translationem fecisse regno-
 rum. Quanto etiam desiderabilius, iis præsertim impaca-
 tistemporibus, cupimus te illis libenter intendere, per
 quæ suorum corda fidelium ad tuam beneuolentiam &
 obedientiam debeant allici, & illa prorsus vitare, quibus
 valeant a tuæ cultu deuotionis auelli. Quia itaque, fili,
 tua non modicum interest huius nouæ mutationis vitare
 dispendium, quamplurimumque expedit vt hæc non
 negligentur turbationis initia, ne, illis periculose crescen-
 tibus, sero medicinæ remedia præparentur, excellentiam
 regiam sollicitamus attente præsentibus, sano nihilo minus
 consilio suadentes, quatenus hæc prudenti meditatione
 considerans, & cum suo discreto consilio conferens, super
 illis circa præmissorum grauaminum correctionem & re-
 formationem debitam & festinam viis & modis decenti-
 bus sic sufficienter prouideri mandes, & facias, sic discrimi-
 nosis principiis in hac parte obstare procures, quod &
 illi, per quem regnas, placere valeas, & te in iis efficaciter
 implente quod debes, cuiusuis aduersum te iustæ querelæ
 materia conquiescat. Per quod iidem Hibernici saniori
 ducti consilio tibi vt domino parent, aut si, quod absit, in
 inepta rebellionem manere voluerint, causam suam in aper-
 tam iniustitiam, te apud Deum & homines excusato, con-
 uertant. Vt autem de prædictis grauaminibus & querelis,
 quibus prædicti innituntur Hibernici, tuis sensibus inno-
 rescat ad plenum, antedictas literas missas cardinalibus an-
 tediectis, cum forma literarum, quas prædictus Hadrianus
 prædecessor noster eidem Henrico regi Angliæ de terra
 Hiberniæ concessit, tuæ magnitudini mittimus præsentibus
 inclusas. Datum, &c.